



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Omnibus se accommodat, etiam in lusu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

que detraxerit. atque illud in re minimâ non minimo subseruiat exemplo. Non iuuabat Ioannem lusus , sed magis differendo dispu-

*Omnibus se tandoque capiebatur. Tamen vacationum accommo-
dabat, et iam in lus-
su.*

diebus (cùm Scholaſtici in vineam eunt) si à quoquam ad ludendum inuitaretur, ijs horis quibus fas est vel trudiculis ludere, quibus in oblongâ mensâ per angustum fornicem, mobilemque sphæram eburneæ pilæ trai- ciuntur ; vel laminis faxisve missilibus quæ ad signum propositum manu projiciuntur, colludebat, vt alijs se accommodaret.

Quemcumque recens aduentantem admittebat in societatem lusus , etiamī per- dendi certus fieret, imperitiâ accendentis, & quidem omni animi contentione ludebat, neque aliud interea verbis atque animo agebat, ludebatque dexterè ac scite. Numquam prius ordiebatur , quām salutare Crucis si- gnum publicè expressisset ; quod omni item actui præmittebat . Numquam in lusu aut verbis contendebat, aut vocem clamosiores edebat, seu dexterè caderet iactus, seu sinistre. Si vincebatur, statim genibus flexis Angelicæ salutationis sponſionem victoribus persoluebat; si victor erat, neque insolenter gestiebat, neque victis insultabat. Quæ omnis adiun- etarum rerum collectio, lusum (rem alioqui genere suo medium atque indifferentem)

erigit

erigit in præstantiam actionis bonæ ac laudatæ.

Plurimæ id genus res de Ioanne commorari possunt, quas qui historiæ grauitatem ijs narrandis violandam esse putarent, silen-
tio essent præterituri; at ij qui verius sanctita-
tem religionemque æstiment, soliti non ad
splendorem, sed ad utilitatem referre virtu-
tes, totidem esse margaritas iudicabunt, le-
gentque gratulabundi. Et ego, qui aliud,
quam prodesse plurimis, propositum mihi ni-
hil habeo, ea scribo, ut adolescentibus no-
stris, qui in studia incumbunt, pro regulâ
sint atque exemplo vitae quotidianaæ. Ac tria
præterea supersunt particulatim enarranda.
Primum, quantum diligentia animum ad scien-
tiarum studia applicarit. Alterum, quas præ-
cipue virtutes ostenderit exercueritque in
actionibus officijsque domesticæ vitae. Ter-
tium, quantum pietati religionique dedi-
tus fuerit.

Quantum ad studia Romana attinet, tri-
bus præceptoribus usus est. Philosophiæ uno,
qui triennio ei Logicam, Physicam, Meta-
physicam explicauit: altero Mathematices,
quam simul audiendo Physicam didicit:
tertio Ethices, quæ ei Metaphysicæ tem- Quo ad-
pore tradita fuit. Hos eximio quodam amo- uersus Prae-
re reuerentiaque complectabatur, pro ijsque ceptrores
animo.

per